

DOCTORI THOMAE AGVIAR EXCELLENTISSIMI DVCIS de Arcos Medico doctiſsimo, Doctor Ilefonſus Nunez Llerenenſis, medicus Hiſpalenſis. S.

Pro laborante viſus offuſcatione ſiue imminuta viſione conſilium.



EPISTOLA, quam pro laborante viſus offuſcatione, ſeu ablata fere viſione ſcripſiſti, miſſa eſt ad me, Aguiar doctiſsime, quo tibi pariter, & alijs viris, qui rem per ſcripta prodiderunt, hoc meum puſillum conſilium adiungerem: vbi tamen tot ſapientiſsimorum refulgēt ſententiæ, ſuper vacuum forte exiſtimarem, niſi me corū in numero adſcriberes, qui negligenter bonarum literarum celebritati aſpirantes, ſapiētiæ opinioni potius inhiant, quam veritati: ais ſiquidem ægrotantium vndiq; mihi occurrentium occupationibus oppreſſo, haud tanto ſtudio incumbere poſſe, quātum opus eſſe iudicas in re difficili, & abdita: quaſi ægrotantium frequentia impedimento ſit medico quo minus caſus

 diffi-

difficillimos per calleat. Et mirarer certè si hac sola de causa perte ab eorũ excluderer consortio, qui auidissime vbique scire, & res similes nocturno diurnoq; studio inquirere affectant: dummodo bona, ac solida artis præcepta à me nõ absint: quibus occulta, & non ita frequenter medico occurrentia indagantur. Ad inuenit namque ratio, roborat vero, quæ ratione inuenta sunt, experimentum: proinde ignorauit nemo eum qui asidua exercitatione varijs ægrotatium casibus asistit, ad cognitionem promptiorem, quam qui raro vnum, aut nullum curandum susceperit, quamquam sedulo præcepta vniuersalia, quæ veluti theoremata sunt, obtinuerit. Rationem vtriusq; ad inuenit

Cap.1. Philosophus in lib.1. Methaphisicæ. *Siquis itaq;* (inquit) *rationem absque experientia teneat, & vniuersale quidem cognoscat, quod autem sub eo particulare est ignoret sæpe numero errabit à sanando.* Galenus vestigia eiusdem insequens:

lib.2. de locis affect. ca.9. *Quippe* (ait) *viæ, & rationes vbi solæ sine multifaria secundum ipsas exercitatione cognoscuntur, non possunt perfectus efficere discipulos.* Vnde idem Philosophus ad agendum, hoc est ad optimam in qualibet scientia operationem exercendam, nedum in medicina (in qua exemplum

loco citato. proposuit) expertum prefert; cum dicat. *Quin imò videmus expertos magis id quod intendunt consequi, quam illos qui rationem absq; experientia tenent, causa vero est, quod experientia singularium, ars autem vniuersalium cognitio est.* Et

2. de victus ratione com.36. Galenus probatiores esse, traddit, exercitatiores quã minus exercitatos. Alusit his præclara quamquam vulgaris Celsi illa sententia, male à quibusdam empiricis vsurpata cum in se contineat, quæ Aristoteles, &

In præmio. quæ Galenus affirmarunt, dispari tamẽ dicendi modo, prout vbique Celso consuetum est. Sic igitur habet: *Itaq; ingenium, & facundiam vincere, morbos autem non eloquentia, sed remedijs curari: quæ siquis elinguis vsu discretus bene norit, hunc*

aliquanto

aliquanto maiorem medicum futurum, quam qui sine vsu linguam suã excoluerit. Nec propterea vt existimes velim totã hanc cognitionem vsui solum cõmittendam id enim rude dumtaxat erit experimentum, cuius indignũ iudico, rationalem medicum, qui bona prius, ac solida fundamenta exequutus est: Imo ratione opus esse pariter cũ vsu aclamauit idem Celsus, & si non inter obscuras causas versetur medicina. Galenus quoque dum in Asclepiadem, & Sophistas reliquos inuehitur, principia, ex quibus scientiæ comparantur, naturalia negantes, ac postquam prius à discenda suaserat, subdit. *Vbi vero hæc omnia didiceris tunc te exerceas in comprehendendo per exquisitam coniecturam, quantum morbum, quantum virtutis robur quanto tempore possit perferre, multum vero ad hoc te adiuuabit in operibus exercitatio: prius verò quam ea omnia, quæ dixi, diligenter didiceris, nihil ægrotos intuendo proficies.* Constat ergo ex his in primis optima artis pręcepta obtinenda, vt exercitatio concinna sit ac rité disposita in operatione; tamen adiuuat multum ipsa in operibus sæpe actá ad certam cognitionem, & ad faciliorem, ac veram curationem. An iam medicum qui bene artis fundamenta, ac sedulo consequutus est ægrõtantium frequentia in quibus continuo se exerceat occupatum, damnabis? Instabis forte ad inuentionem etiam in singularibus, ac nouiter repertis morbis (noui si quidem contingunt ex Plinio, & Celso) ratione magis opus esse. Fateor verum inanem, ac desertam vbi vsu non fuerit comprobata: quamquam enim artes ex principijs inueniantur, tamen, testante Galeno, creduntur ex operibus vnde ipse alibi medicum requirit prudẽtem, diligentem, ac mente exercitatum, cui, inquit ipsa rerum natura quid agendum sit suggerit. Sed ad quid tot in re nota Priscorum sapientissimorum dicta aggregare pergo vbi præsertim cum viro Longeua

lib. 3. de crisib. cap. 8.

Celsus in præmio.
Plin. lib. 7. in præmio.
3. de crisib. c. 8.
Lib. 14. Meth. c. 17. circa finem.

 expe-

experientia, & scientiá grandiori ornatissimo colloquar?an vt est in prouerbio noctuas Athenas, cum ipse hæc & reliqua nostræ scientiæ intima noscas perquam facile. Ergo ne absq; vtilitate longius abeam quid in hac re sentiam, aperiam: tamen tibi vti Archiatro corrigendum remitto, saltim in quibus aliter, ac tua fere sententia opinatus sum: sic enim deinceps tanti Doctoris authoritate me digniorem reddere existimabo.

Quod symptoma patiatur. Hic ægrotans vt mihi licet ex relatis conjicere, symptomate quodam laborat in genere noxæ actionis sensibilis visiuæ videlicet, quod visus appellatur diminutio, hebetudo, aut offuscatio: in principio enim diminuté cernebat, nã & scribere, & numismata enumerare, & alia similia distinguebat, vnde tunc non omnimoda visus obtenebratione affligebatur, sed vel hebetudine, aut diminutione, quam græci *amblyopiam* vocant. Sensim autem adeò aucta est læsio, vt nec propinqua descernat, ac si quæ cernit veluti per vmbram obscurissimam, minime distinguendo quę nam sint ab illo visa: vnde iam actio est visionis feré ablata ad eã, *Nomina.* quam *amaurosim* græci nominant, quam proxime accedens; cum *amaurosis* ablata prorsus sit visio, quam Latini omnimodam dicunt cęcitatem, & practicantes recentiores *guttam serenam*. Fit vtraq; læsio. & quæ diminuta est, & quæ ablata, nullo in oculis malo apparẽte, hoc est à causis minime manifestis. Sic Paulus *absque manifesto affectu circa oculum*; fieri dixit AEtius, *Citra manifestam circa oculum affectionem, pura videlicet apparente pupilla vt minimum, aut semel in totum non videant.* Cũ itaq; hic æger oculos nulla offensione læsos habeat, patet *amblyopiam*, seu fere *amaurosim* pati.

Paul. lib. 3. c. 22. AEtius lib. 7. cap 48.

Verum à quo morbo accidens hoc depẽdeat, & quæ nam sint causę morbũ excitantes, tũ præcipue, & quæ pars læsa, inquiramus opportet inditijs sumptis ex rela-

relatione, quæ in prædictorum certam cognitionem nos ducant, quatenus licet absenti medico. Ordiar in primis à Galeno, mihi vbiq; optimo, ac consueto fundamento. Is enim in lib. 1. de sympt. caus. triplicem incidere symptomatum differentiam insentiendi actionibus traddit: *Vna cum ipsum primum sensus instrumentũ est male affectum. Altera cum sentiendi facultas, & tertia cũ aliquid eorum, quæ primo sentiendi instrumento subseruiunt, male habet. Veluti in oculo primum sentiendi instrumentum crystallinus est humor, quippe quem solum à coloribus alterari certũ est: sentiens vero facultas, quæ à cerebro per neruum inde pro rectũ, ad crystallinum peruenit. Ad subseruiendum autẽ huic reliquæ omnes quæ in oculo habentur particulæ sunt conditæ: itaq; vno quolibet ex prædictis male affecto, vel male videbit animal, vel prorsus non videbit.* Hoc ergo iacto fundamẽto cõstat hoc in casu, nec præcipuum cernendi instrumentum, nempe crystallinum humorem, lęsum esse: nec reliquę partes ei deseruientes quæ oculum ipsum cõponunt, læduntur. Relatum siquidem est, oculis attente conspectis, in loco satis illuminato, nec in pupilla, nec alijs in partibus, quæ patentes sunt, prorsus nullam apparere læsionem, id quod etiam testatur per doctus medicus, qui nuperrime ad me literas misit, in quibus se nullum in oculis manifestum conspicere affectum, & si attente oculos cõsiderasset, fatetur. Planum ergo est sentiendi facultatem læsam esse. Læditur autem prout ibidem testatur Galenus, in eo quod vel neruus, vel cerebrum male affectum sit, cum vitia neruorũ, & spirituum, omnia redundent in virtutem, ita vt quidquid in his omnibus peccetur, solum in facultate peccari videatur, vt adnotauit excellẽtissimus Mercurialis. Cerebrum ergo pars est præcipue affecta prout ex Methodo diuisiua patet quã hu cusq; per currimus. Relata quoq; signa id cõprobare vidẽtur: nã anteà per annos duos audit⁹ graues, & auriũ tinitus passus est æger: & nunc



Quæ sit pars læsa

c. 1. & 2.

1. de sympt. caus. 2 Lib. 1. de affect. ocul. c. 8. in obiectione quadam.

Pars principaliter læsa est cerebrũ.

Signa.

& nunc continua capitis grauitate cruciatur, dolore ex interuallis, & virtiginosa dispositione, stupore quoque siue paralypsi initiata in crurere sinistro, & brachio dextro, quæ & adhuc perseuerat: ac humorem instillatem, se per sentire ait, ex capite in varias sibi partes subiectas, in mentum labrum superius, & tempora. Quibus accedit non exigua coniectura ex eo quod cōfertas euacuationes, aut copiosas, citra ipsius capitis maximam debilitatem non ferat: quin nisi alimenta sumat optimi nutrimenti, ac facilis coctionis statim capite languet: sicut vbi regionem inhabitauit nubilosam, ac caliginosam minus recte habuit. Et tandem nonnumquam vertigine præmitur adeò, vt nisi vel parietibus vel aliter firmetur, ad terram decidat. Quid igitur indigemus verioribus alijs inditijs vt affirmemus partem præcipué affectam cerebrum esse?

Quijnam morbus sit. Cæterum quo læsionis modo rursus inuestigemus, vt pariter cum læsa parte morbos dignoscamus à quibus procedit symptoma. Manu ducet nos idem Galenus eadem Methodo diuisiua vtentes ex lib. 4. de locis affectis cap. 1. siquidem cum nullo in oculis malo apparente cernendi sensus deperditus est, triplex in cerebro vitium constituit. Vnum cum vt instrumentalis pars afficitur, vel inflammatione, aut scirrho vel alioquin ex humorū de fluxione laborat: aut aliter quodlibet foramen ipsius obturatur: alterum cum vt similaris pars octo in temperantijs læditur, vel caloris, vel frigiditatis humiditatis, aut siccitatis, vel harum duabus conmixtis. Subdit tertium vitium sic. *Quum vel nihil omnino, vel exiguum admodum lucidi spiritus à principio quod in cerebro consistit, ad oculos immittitur.* Quibus se iungit hoc tertium vitium (quod notare magni est momenti in posterum) ab in temperamenti morbis, cum tamen nec inter organicos, nec inter communes mor

bos

bos referri queat, quoniam peculiarem quandam prouidentiam requirit à reliquis in temperantijs alienā: non enim alteratione peragitur, sed multa, & proba alitione, quod ab reuiloquo, & doctissimo Thoma Roderico adnotatum fuit. Colligamus ergo ex his quæ in relatione proposita sunt, quo nam ex his morbis cerebrum affectum sit in hoc ęgrotante. Nam eo quod paulatim sit oborta affectio cōstat ab intemperamēto emanasse sic enim traddit Galenus fieri noxas, quæ ex intemperie procedunt, & nō subbito in lib. 3. de caus. sympt. agitur iam integer annus à primo insultu, quo tempore cępit diminute videre, ac vt dixi, paulatim vsque in hunc diem progressa est visionis debilitas, vt iam fere non videat. Adsunt quoque & aliqua inditia per quæ suspicari possumus, affici quoque vt pars est organica, propter obstructionē circa opticos obortā: siquidem adest inditium illud à Galeno relatum scilicet quod ad sit grauitas, & dolor in profunda oculorū parte, quo cum affligeretur interim dum Granatæ esset, conuictus est ob hanc solā causam (ipso maxime renuente) à quodā medico, vt sanguis per venæ sectionem extraheretur. Ipseq; fatetur prædictam grauitatem, & dolorem circa partem oculorum profundam persentijsse. Nec obstat quod non fuerit subbito sublata visio velut fieri pars est, vbi ex opticorum obstructione aufertur vt communiter à medicis cū Galeno receptum est: ita vt argumentum fere sit certum, vbi visionem repente auferri contingat, in oculo nullo apparente malo, à neruorum opticorum obstructione promanasse: nam fieri potest vt paulatim in ipsis fiat obstructio à crasis succis, & à caliginosis effumationibus in capite iam inbecillo genitis (velut de intemperamento nuperrime dixi, tamē distinguetur ab eo per signa reliqua obstructionis) & tunc visio non repente,

In lib. 4. de locis affectis nu. 1.

Morbus principalis est intēperies cerebri.

Signa.

Adest suspicio obstructionis opticorum.

nec prorſus aufertur, ſed diminuitur: vnde quãquam fere certũ ſit ex ablata viſione ſubbita, in oculo nullo apparẽte malo, coniectari opticorum obſtructionem: non tamen é contrario validum erit argumentum, nempe ex opticorum obſtructione ſemper ſequi ſubbito ablatam viſionem: vbi obturatio non ſit omnimoda, nec confertim facta, ſed paulatim genita ſenſim recurrente humore ad opticos, velut in hoc de quo agimus ægrotante poſſumus ſuſpicari, inditio ſumpto ex dolore iuſta oculorum radices perſentito, vt conſonum ſit rationi obſtrui, nõ ſecundum totam ipſorum cauitatem, atque hac de cauſa cerebrũ affici tanquam partem organicam.

Iam & tertium illud vitium quod ſeparat Galenus ab intemperamento, & compoſitionis morbo in ſpiritibus conſiſtens, euidentius reperitur in ægrotante; nam non modo exiguum quidpiam lucidi ſpiritus, à cerebro in oculos deportatur velut initio fiebat, & progrediente ſymptomate, ſed etiam vel fere nihil, aut id perquam exiguum vt patet in præſenti diſpoſitione in qua vt ipſe teſtatur, nec propinqua diſtincte videt, ſed obſcuriſsimé corporum iuſta viſum obverſantium veluti vmbram, cum anteà per interualla, res aliquando diſtinguebat aliquãdo vero obſcurius conſpiciebat. Hoc perſpicue vitium eſt ad ſpiritus pertinens vbi in oculo nullum manifeſtum ſe repreſentet malum prout expoſitum eſt. Atque conſtat ſpiritus non ſolum eſſe exiguos, ſed minime ſplendidos, ac caliginoſos, ſeu ex praua mixtione impuros, ac turbidos, id probat Galenus in lib. 1. citato de ſympt. cauſ. cap. 2. interim dum læſiones ob ſpirituum vitium procedentes, refert. *Sin paruus eſt (loquitur de ſpiritu) quæ prope ſunt exacte dignocit, quæ procul abſunt non videt: quod ſi humidus ſimul ac multus eſt, longiſsime quidẽ videt, ſed non exacte, ſicuti etiam*

4. de locis affect. 1.

Adeſt & in ſpiritibus vitiũ

etiam si humidus simul exiguusq; est, nec exactè, nec longissim. videt, per quæ Galeni verba constat manifeste vitium quod in dispositione præsenti æger patitur prouenire ab spiritibus non paucis solum, sed humidis hoc est nō lucidis, sed caliginosis, ac turbidis, siquidē nec prope ad mota, nec quæ longissime absunt discernit: vnde patet responsio ad opinionem ingeniosissimi medici, qui ægrotantis curam agit: cum asserat læsionē visus, siue ablatam fere visionē ob solam spirituum inopiam dimanasse ob cerebri impensam siccitatem: quod non absq; ratione colligit eo quod corporis habitus siccissimus sit ac squallidus: & quod paulatim fuerit propagata affectio velut dictum est: nihilque excrementi per nares, & aures effluat, quæ omnia ostēdere possunt cerebri siccitatem. Tamen si rem radicitus perpendamus, ac iusta ea quę à Galeno retulimus, spiritus defectus ex sola cerebri siccitate é natus, non tantam potest in ducere visus diminutionem, ac ablationem, quantam in hoc casu accidere videmus: paucus enim ac ęthereus spiritus facit vt ea quæ prope sunt exacte dignoscantur, non tamen omnino visionem aufert, velut contingit in myopia à Græcis appellata (Latini ita affectos luscos, aut luciosos dicunt) vnde hic ęger ex sola spirituum paucitate saltim prope ad mota videret. At contrarium fit vt nec proxima nec é mota videat. nec credibile est ad tantam spiritum inopiam deuenijsse propter cerebri inbecillitatem vt fere sine visione sit; quin & alij sensus, & ipsa motrix facultas imò & principes siue internæ facultates eadem labem non contraherent, veluti contingit in extremo sęnio, & in his qui ob marasmum morti proximi sunt, cum potentiæ omnes ad sua ob eunda munera copia spirituum indigeant. Cæterum cum potentiæ internæ & reliqui externi sensus, si non ita expedite nō ita tamē

 magno

magno langore suas actiones exerceant, ac fit in sensu visus: constat non ita ingentem esse spirituum defectũ vt fere sit visio deperdita. Accedit quod oculi ob spirituum ita grandem inopiam, necessario minores viderentur, ac veluti subsiderent imminuta eorum quantitate, spirituum visualium deffectu: nam sicut per magnam spirituum copiam turgidi redduntur; ita ipsis deficientibus, imminui, ac subsidere contingit. Quod signum pro dignocenda spirituum inopia à cerebro in oculos venientium propositum est à plerisq;, sed præcipue à Mercuriale, Mercato, & satis laté à Manardo in quadam epistola. Cum igitur nec propinqua, nec remota æger videat, debemus coniectari spiritus non solum esse exiguos, sed etiam turbidos, ac caliginosos ex praua mixtione: ita vt paucitate hebetior sit visus, crassitie vero ex impuritate obscurior. Est itaq; morbus, & in intemperamento, & incompositione quatenus obstructionis opticorum aliqualis suspicio adest.

Mercurialis proprio capite. Mercatus. 1. de morb. cur. pag. 216. Manard. lib. 6 epist 6

Pro completa tamen & morbi, & partis affectę doctrina duo restant inquirenda dubia: primum an humoribus, ac oculorum tunicis in sit læsio velut ipse in humore crystallino, & rhagoide tunica, ac albugineo humore proponis: nam ideò nunc veluti per claritatem aut vicissim per obscuritatem ęgrum videre credis quod vapores crassi, & melancolici tunicæ crystallini humoris, aut albugineo siue aqueo humori permisceantur: ac secundum quod color humoris, aut vaporis fuerit natura, nunc claritas, aut nunc obscuritas oculo sese repræsentet, ita ergo ipse proponis. Secundum inquirendum dubium, quæ nam sit intemperies illa, quę morbi gerit rationem cũ opinatus sis frigidã esse, & siccam. Ac vtinam ita commodé ab hisce me expedirem vt optimã deinceps sim apud te adeptus opinionem in tẽpore arripiendo pro similibus enodãdis

An in humoribus, aut tunicis oculorum sit aliqua læsio dub. 1

Dub. 2. quæ nam sit intẽperies quæ morbus dicitur.

dis dubijs, ne totum in ægrotantium medellam me in sumere arbitreris. Pro primo dissoluendo constat ex relatis in crystallino humore, qui visionis est præcipuum instrumētum, nec in albugineo siue aqueo, qui medio loco inter rhagoidem tunicam, & crystallinum humorem habetur effusus, nullum inueniri vitium: nam si horum quilibet ex humoribus, & vaporibus illinc, cum spiritibus aduenientibus lęderentur: Id esset vel quia in dictis humoribus veluti quædam divulsa corpora fluitarent, & tunc ęgrotanti imaginatio præberetur, tanquam calices quidam foris per visum ob versantes ex Galeni doctrina, qui ita fieri affirmat, vbi humoribus in sit læsio lib. 1. de sympt. caus. cap. 2. non autem constat ita affectum fuisse ægrotatem, nec antecedēti, nec præsenti tempore; aut quia vaporibus In ipsis consistentibus, humores crassiores redderētur: & tunc perspicatia visus adimeretur, velut placet eidē Galeno, ita vt nec longe posita cernantur, neq́ue quæ prope sunt ad mota exacté perspiciantur (velut hoc in casu contingit) vt simillimum fiat symptoma in visionis diminutione hisce crasse factis humoribus, & spiritibus humidis, & caliginosis eorum simul in minuta quantitate: tamen inditia sunt vtriusq́; propria quibus id distinguere valeamus. Humore siquidem crystallino crassiori reddito, glaucoma fit, siue quam glaucedinem appellat AEtius: & tunc circa pupillam insignis, & profunda apparet albedo, hęc autem si relationi fides adhibenda est, prorsus abest cū pura omni ex parte sit pupilla. Quod si aqueus, siue albugineus humor esset hac crassitie infectus si ita fuerit ad aucta vt totū humorē occupet suffusio fit per quā totū pupillæ foramen obtenebratū est, & videre hominē prohibet. Si vero pars aliqua pura supersit quæ extrinsecus sunt per illā vidētur, tamē non vno tēpore multa quod scilicet angustior sit factus quam anteà visionis conus.

Dubij. 1. solutio.

At

At ſi pars quæ craſſeſcit exigua ſit, & pupillæ centro conſtiterit, partibus quæ circa ſunt manentibus puris, omnia ijs qui ſic ſunt affecti, veluti feneſtras habere videntur quippe quod in medio non cernitur, quaſi exciſſum videtur: itaq; omnia feneſtrata, & perforata videntur. Verum ex his vitium nullum in hoc caſu adeſt: nam antequã æger factas ſuffuſiones pateretur, futurarum ſigna antecederent: at nec futuræ ſuffuſio. nis inditia habuit, nec facta ſuffuſione afficitur. Futurę enim quoniam nec imagines illæ ob viſum verſantes apparuerunt (quæ inditia ſunt incipientis ſuffuſionis) nec formicę, muſcæ, ac veluti nebulæ, & iris qui conſpicitur ante lucernam. Factæ quoque ſigna abſunt, cũ pura prorſus, vt diximus, ſit pupilla, ita vt in ipſa appareat imago conſpicientis, nec colore albo, ceruleo, aut alio ſimili inficiatur. Abſunt quoq; & alia inditia per quæ partem humoris, aut iuſta centrum pupillæ vitiari credamus; ſiquidem eorũ quæ extrinſecus ſunt non ſolum aliqua videt, & aliqua non, ſed prorſus exacte nulla: imò & hæc, nec feneſtrata, nec perforata. Quod ſi affirmes nõ omni ex parte humores prædictos ſecundum ſubſtantiam immutari, ita quod craſſeſcãt, ſed vaporibus cõfluentibus cauſam eſſe offuſcationis in viſu, quatenus ſolũ alterantur: nec enim hoc obſtat cum inditia non adſint id oſtendentia: nam vapores offuſcant ita quod colorem in mutent tam aquei quã cryſtallini humoris, & tunc res viſæ eodem colore viderentur infectæ, ac eſt is qui in humoribus prçerat. Quod ſignum nunquam adfuit cum vſque adhuc res non videat deprauaté, ſed diminuté, aut vt rectius dicam fere ablaté: vnde conſtat claritatem illam, aut obſcuritatem perquam credit ęger res videre, non in vitium humorum aut tunicarum, vt ipſe teſtaris, reducendum eſſe, ſed in ſpirituum maiorem obſcuritatẽ, aut

Nõ eſt vitiũ in humoribus nec in tunicis per quod æger videt veluti per claritatem aut obſcuritatem.

ut impuritatem,nam vbi permixti vaporis maior eſt opia cum exiguo ſpiritu , obſcuritas ſiue offuſcatio, eſe viſui ingerit : vbi ſpirituum exigua copia, nec ita aporis quantitas,ſiue infecta qualitas,veluti claritas it ex ſpiritu non ita infecto,ac impuro. Non tamẽ ea laritas ita lucida eſt,ac perſpicax veluti eſt ea quæ fit ex puro,& copioſo ſpiritu, ſed adumbratio cum claritate quadam non ita obſcura,ac eſt vbi ſpiritus multũ eſt permixtus,ac impurus.Itaq́ue eſt ex minore vaporis infecti copia cum ſpiritu viſiuo, minor obſcuritas ac fit vbi magis eſt infectus,ac per mixtus, cum tamẽ exiguus, ſit non deducit ad perfectam , ſiue exactam viſionem , ſed ad quandam claritatem : Secundum quam viſa videntur ſine exacta diſtinctione:nam fatetur ęgrotans vmbram videre viſorum corporum nũc per obſcuritatem, & rurſus viciſsim per claritatem ſine exacta diſtinctione. Conſtat igitur in nullo dictorũ humorum vitium reperiri.

Reliquum eſt vt in examen traddamus an aliquod vitium ſit in tunica quam ipſe appellas humoris cryſtallini,ego exiſtimo te,quam gręci rhagoidem vocãt; & latini vueam intelligere,cuius foramen pupilla dicitur. Huius tunicæ morbi quatuor ſunt in vniuerſim, qui omnes ad pupillam referuntur : nam foramen vel ampliatum eſt, vel in minutum, vel in aliquam partẽ deortum,vel ruptum. Verum cũ duo poſtrema vitia, nec ſi à natiuitate, neq́ue poſt incidant quidquã quod æſtimatione dignum ſit viſui officiant (vt eſt Galeni expreſſa ſententia)ab his exponendis deſiſtamus. Illorum vero primum quod in amplatione conſiſtit , & ſi à natura ſit aut poſt accedat,ſemper viſui incõmodat. In minutio verò vbi à natiuitate in cęperit acutiſsimi viſus eſt occaſio. quæ vero poſt incidit, mali. At quid nam horũ patietur vuea vitium ex vaporibus ad eam con-

1. de ſym pt. cauſ. citato cap. 1.

concurrentibus vt ipse existimas? ambo siquidem tunicæ solius affectus extensio relaxioque sunt, qualis vtiq; in extrinsecus positis articulis sub inde cernitur cum ligamenta redundanti humore sint perfussa. Relaxatione pupilla imminuitur, extentione ampliatur, à vaporibus igitur, & parte humoris tenuiori rhagoidem ingredientibus, & relaxari, & ampliari potest: nã distendentes tunicam facient, vt dilatetur foramen: vnde vitium id quod à Græcis mydriasis dicitur, à Latinis pupillæ dilatatio: vbi vero humenctando tunicam, relaxent, contrarium fit vitium, nempe constrictio pupillæ (medici vocant tabem) vtriusq; vero certa inditia sunt, tum quod ad visum pupilla dilatata sit nimis, aut constricta siue imminuta, quod facile dignoci potest vbi alter oculorum lædatur, altero illæso manente, facta vnius ad alterum collatione. Nam vt ait Galenus lib.10. de vsu partium. cap. 5. *Sanus oculus qui in propinquo est affecti vitium prodit.* Quod si ambo affici contingat descernuntur, quoniam in mydriasi cum pupilla dilatatur; res semper videntur minores quã sunt, quod signum perspicuum admodum fuit hisce pręteritis diebus, mihi & doctissimo D. Christophoro Bañes, in clarissimo, necnon humanarum literarum peritissimo, ac per illustri Marchione del Aula mydriasim patienti, qui Dei optimi Maximi nutu ad sanitatẽ fuit perductus. E contra vero in pupillæ imminutione, res videntur maiores quã sunt, vtriusq; inditij rationem Paulus, & AEcius tradidderunt quãquam Mercurialis dubiũ vertat an inconstrictione res videantur necessariò maiores anceps tamen, ac quadam limitatione dissoluit, quod non pro sequimur ne plus iusto à proposito diuagemur. Cum ergo nullum prædictorum signorum per totum morbi discursum habuerit ægrotans, incomperto est secundum tunicam vueam siue rha-

Paulus lib 3. c. 22. AEcius lib. 7. c. 48. & 32.

rhagoidem non affici. Et ne morbos omnes tunicarum, aut oculorum humorum proponam ad secundũ accedo dubium, cum solum prædictis in humoribus in quibus morbos inuenisti, discursum facere sit intentum.

Est ergo secundum dubium, quisnam sit morbus à quo symptoma visionis lęse, aut feré diminuté dependeat. Atque concedis caput esse languidum cum prædicta spiritum inopia, morbum tamen principalem in intemperie *fragida & sicca consistere*. Interim tamen dum attenta cõsideratione perpendo quæ relata sunt, tam ab ęgrotante quam à medico per docto curationi prospiciente, velut scripta prodidderunt. Calidam potius, ac impensé siccam intemperiem morbum esse per quam cerebrũ plus iusto inbecillum est, existimo. Et id mihi persuadeo primũ ex temperie siue natiua, siue acquisitia sit, pluriũ annorũ curriculo, quæ calida ac sicca valde existit, est enim gracilis pinguedine carẽs, hirsutior, duriorq́;, niger quoq́; color illi adest pariter cum nigris capilis, quę omnia calidum & siccum valde temperamentum à testantur ex cap. 56. artis medicinalis: Cumque similibus morbis maiori ex parte tentemur (cum transitus sit facilior inter similes qualitates) fit vt qui calidiori sunt natura, calidos morbos facile incurrant sicut frigidiori, frigidos quod & in reliquis similiter procedit vt assertum est à Galeno lib. 5. de sanit. tuend. cap. 11, & cum hic ægrotans ita sit calidioris, ac siccioris temperamenti, planum est in proportionalem morbum facilius incidijsse. Huic rationi (quæ non omni ex parte concludit) adiuncta quæ sequuntur fidem certã facient assertionis: siquidẽ ait idẽ Galen⁹ lib. 2. de natural. facult. c. 8. à frigidis humorib⁹ frigidos, & à calidis, calidos procreari morbos hic

Secundi dubij solutio.

Intemperies quæ morb. est calida est & sicca non frigida.

Inditia morbi.

hic calidos, & ſiccos atrabilarios ſcilicet congerit v in ſubſequentibus planum faciemus, certum ergo eſt calido, ac ſicco infeſtari morbo. Idquoque comprobant accidentia concommitantia, nempe intenſæ vigiliæ, quæ pluribus diebus permanentes ſunt, totius corporis caliditas, ac nimia ſiccitas: ab externis etiam cauſis probatio ſumitur: nam à calidis quantumuis minimis plùs iuſto, ac quam citiſsime in caleſcit, & non mediocrem recipit alterationem.

Cauſæ materiales. Verum interim dum cauſas materiales per quirimus iſtæc plana reddentur: conſtat vero manifeſtiſsime melancolicū eſſe humorem ex calore, ſiue aduſtione genitum, quem non modo in toto corpore, ſed partialiter in capite infeſtare credo: intelligo autem eum, qui nondum exquiſitæ in atræbilis naturam tranſierit, ſed in quodam ſit confinio cōſtitutus prout accipitur à Galeno libr. 2. de drijs. Febr. cap. 9. itaque

Inditia. ſunt humores atrabilarij non frigidi neque ſicci ſicut eſt melancolia, quæ mere fex eſt ſanguinis, ſed hij qui

1. ab effecti probatio. à calore per aſſationem geniti ſunt. Oſtendit primum temperies calida, & impenſe ſicca iecoris à qua neceſſariò congeruntur ita vt corpus totum, & caput ab eodem, & compatiantur, & alterentur: nec obſiſtit huic alterationi frigidum cor prout fieri ſolet quādo ad inuicem contrarijs mutuo ſeſe impediunt intemperaturis, eſt enim ſicut & iecur, cor calidum & ſiccū: nam quis quæſo negabit ſimili intemperie ambo affici, vbi videat pectus, & Hypocondrium maxime hirſutum, cum non exigua venarum latitudine, & partiū ad iacentium duritie, ac ſiccitate: præſertim ſi reliqua accedant à Galeno propoſita in cap. 33. & 41. artis medicinalis Ergo firmiſsimum eſt argumentum à ſimili iecoris intemperatura, craſiorem, ac pauciorem pro gigni ſanguinem, maxime cum ægrotans conſiſtentis

ſit

ſit ætatis, quo tẽpore aït Galenus, atrabilis plurima gignitur,à calido & ſicco hepate. Ita ergo ab efficienti ſumitur probatio. Ab effectu vero hoc eſt ab accidentibus cõcomitantibus, comprobatur, quoniam vigiliç adſunt intenſæ, ac multoante præceſſerunt, quas & increuiſſe ipſe fatetur, ſimul ac viſus læſio incrementum ſuſceperit. Inſomnia quoq; grauia,& terrifica quibus ſæpiſsime moleſtatur. Incendium capitis, ac intenſa caliditas ad tactũ manifeſta. Capitis excremẽta ex auribus emanantia (quę aliquando graui auditu oppreſſus penicillo detraxit) nigra, ac dura cum corporis vniuerſi ſquallore intenſo Sumitur quoq; probatio à cauſis externis ſiquidem meror non exiguus cum per multũ temporis ſpacium diſtorſit, adeò vt in perpetua fuerit ſolicitudine, & intenſa triſtitia. Cum igitur hæc plana ſint affirmare debemus, calidũ & ſiccum eſſe morbum à calidis & ſiccijs humoribus atrębilis naturam referentibus propagatum: cuius ſedes principaliter affecta cerebrum eſt, & præcipué ſecundũ eius ſpiritus, cum aliquali opticorum læſione, quod non modo in ſe factam intemperiem continet verum etiam, & à toto, & ab Hypocondriorum partibus compatitur, itaq; afficitur per ſe caput,& pęr conſenſum. Hic tamen conſenſus ex accidentibus melancoliæ Hypocondriacæ colligitur (nimauis & ſimul à toto corpore emanaſſe cũ adſint vtriuſq; inditia) ructus nempe acidi, inflatio ſiue hypocondriorum tenſio, humidum ſputum, fluctuatio acibo ſumpto, & aliquãdo vomitus præſertim coctu difficille, ventriculi etiam vehemẽtes dolores: quæ inditia ſunt à Diocle relata, apud Galenum, pariter cum metu, & mæſtitia quæ tanquam caractere quodam deſignant melancoliam: cum his quoq; gracilis eſt æger, niger, hirſutus, lataſq; habens venas, vt in comperto ſit melancolicum eſſe à toto, & ab hypocondrijs, à quibus & caput per conſenſum reſcipit.

2. ab morbi accĩtibus.

3. à cauſis externis.

epilogus dictorum

Patitur caput primario affectu, & per conſenſum.

3. de locis affect. 7.

Prognoſticum.

Succedit his prognoſis, vt ex ea perpendamus quovſq;

curatio

curatio peragenda ſit, quæ quidem difficilima eſt, ac fere impoſsibilis, ſi attento animo quæ narrata ſunt perpendimus. Nam imtēperies illa cerebri, quæ morbi rationem gerit paulatim propagata, veluti habitualis eſt. Quis ergo adeo ignarus factos morbos difficilime amoueri dubitabit? præſertim cum tot partium principaliū lāgore, capitis ſcilicet, ventriculi, jecoris; imo & vniuerſi corporis habitus. Accedit & nō minor difficultas cauſæ ratione, ſiquidem atra bilis eſt, quam Galenus, de conſtitutione artis med. cap. 16. *Pernicioſiſsimum ſuccum*, vocat, *quum alijs præualuerit, vt pote quæ præ cæteris maligna admodum ſit, concoctuq; difficilima, & ad purgationem ineptiſsima, atque etiam plurimum indicat calorem, à quo ſit per aſſationē genita.* An relinquendus eſt ęger ſine vllo penitus pręſidio, vbi ita difficilimam, ac fere impoſsibilem curationem credamus? non certe, remedia ſiquidem tentare in difficilimis ab arte alienum nō judico. Obſervarunt antiqui ſapientiſsimi ſimilibus in caſibus. Sic Hippocrates de locis in homine, *Periclitandum eſſe*, inquit, *nam ſi ſucceſſerit, ſanum facies, ſin minus, quod aliàs futurum erat, id etiam perpetietur æger.* Aecius, *Deſperantium hominum & malignorum*, dixit, *at humanum benevolentiæ ſignum in extremis malis vſque ad experimenta procedere.* Tralianus impium judicat talem differere. Et idem traddit Areteus. Auicena, *Ne proportionemur*, ait, *ad paucitatem miſericordiæ.* Et rurſus inquit, *Non deſiſtas a rationale cura, quoniam aliqui ſanantur abſque ſpe aliqua mirabiliter.* Et tandem vt coronidem imponam cum Galeno Principe, *Si non omnia agere nobis datur, quibus ad ſanitatem perducatur, eam ſaltim adhibeamus providentiam, quæ congruat paſsioni, hoc eſt, ipſam molliri, ac mitiorem reddere.* Benevolum equidem, ac pium maxime credo homini naufrago, ſi non manum, ſaltim tabellam porrigere: ac vt ait Celſus, anceps experiri periculum quam nullum.

Tret. 4. ſerm. 1. 120. in fine. Tralin. l. 7. c. 13. Arete. 3. tard. paſ. (r) 1. Avic. 6. 4. tract. 2. 6. Aphor. 38.

Curatio

Curatio tribus præcipue clauditur indicationibus: prima in humoris atrabilarij evacuatione & retractione, tam a corpore vniverso, quam a capite consistit. Secunda in bona capitis, & reliquorum membrorum, quæ morbo principali causam suppeditant roboratione, ac corporis vniversi refectione. Tertia, in qua duæ primæ fundamentum reponunt in decenti, siue commoda victus ratione: ab hac ergo initium faciamus, vt melior ad reliquas deinceps sit additus; vbi humores cassi sunt, solutuque difficilles, ac calidi veluti atrabilarij exadustione, victum adhibere convenit, humectantem, ac modice refrigerantem, tamen aliquem asumat modum ad extenuandum, Siquidem, *Extenuans victus, diuturnis morbis adeo confert, vt eo solo sine vllo alio medicamento, sæpe sublatos fuisse*, testetur Galenus, atque ob id de eo integrum librum perscripserit. Sint ergo carnes facilioris coctionis, ac optimi nutrimenti, quales sunt auiculæ montanæ, quæ ad attenuantem victum multum, ac copiosum alimentum acōmodant, velut passeres, turdi, merulę, perdices, paruæ columbę, & reliquę, quæ in montibus vivunt: exceptis quæ in stagnis ac locis aquosis, & cāpestribus degunt, vt quæ plus justo humidiores sunt, ac excremētosæ. Et quāquam humiditas in affectu sicco, qualis hic est, convenire videretur, obstat tamen, quia excrementia est, & ob hanc coctu difficilior, & nociva. Tamen interim dum hæc percurro, recordor te in victus ratione laboranti proposita, suillas, agninas, ac hædinas carnes concedere, quod mihi durum, ac diffile visum fuit: Nam qua ratione, quæso, tam excremen tosas carnes, ac coctu difficiles, ægrotantis esui vtiles esse possunt? De hædina non multum moror, quoniam non ita difficilis est coctionis, nec admodum excrementosa: Vnde Galenus ex terrestribus animalibus solum hædis innoxie nos vti posse traddit, lib. de attenu. victu. cap. 8. de agnis dixit, carnem habere hu-

Curatio.

Victus ratio.

Cap. 1. l. de atten. vict. rat. alimēt.

An cōveniant carnes suillę & agninæ.

 disisman

midiſsimam ác pituitoſam lib. 3. de alim. facul. cap. 1. & de bonit ſucc. cap. 6. ait: *agni a vero caro humida glutinoſa mucoſaq; eſt*. Et ſic lib. de atten. vict. cap. 8. agnorum eſum propter inſignem humiditatem fugiendum conſuluit: iam & de ſuilla eiſdem in locis, licet potentiſsime nutriat, lentore reliquas ſuperare refert. Quare & de porcellis ſubdit, *adhuc tamen caro eorum excrementitia eſt*: proinde ſuillam carnem hominibus ętate florentibus, fortibus & qui ſeſe multum exercuerunt edendas ſolum cōcedit. Quomodo ergo ęgrotanti, & inbecillo homini (Aguiar ſapientiſsime) carnes ſimiles edendas cenſes? & pręſertim ſuum domeſticorum carnem, quę multum in ſe ipſa habet lentorem, tum propter vitam deſidioſam, tum propter cibi humidioris à fluentiam. Cum ergo carnes ſint coctu difficiles atque hominum non quomodocumque ſanorum, ſed vigentium ætate, ac eorum qui multum exercitijs deditı ſunt, conſtat plane ab ægrotantium victu prorſus eſſe ſe cludēdas. Accedit quod in alimenti forma ægrotantibus ſeruanda, certo quodā modo error committitur. Nam alimentum plenum ideſt quod vires adauget: ſicuti mediocre quod conſeruat, diminuens vero quod tenue dicitur, cōſtat quod ſicuti tenui vtimur in acutis morbis, ſic mediocri in longis: plenum vero alimentum ſemper eſt ſanorū, ſiquidem in eis ſemper opportet robur ſeruare virium, vel augere alimentis non diminuere, in ægrotantibus autem raro quidē accidit vt robur corporis maius reddere, quam acceperimus ſtudeamus: magna vero ex parte ſtudemus in longis quidem morbis ſeruare vires (quod fit mediocri victu) in acutis autē moderate debilitatas conſeruare, error ergo cenſendus eſt victum plenum adhibere in hoc morbo, qui potius ſanis conuenire videtur, qualis certe eſt, qui per carnes ſuillas agninaſq; comparatur, cū potius victus forma mediocris conueniens ſit: alioquin dum pro viribus augendis plenū inſtituimus, & morbum abſq; dubio ad

3. de ali. facul. c. 1 de bonit. ſucc. c. 6.

Lib. de atten. vict. c. 8.

ad augebimus: ita Galenus de his tribus victus formis distinguendis, & instituendis traddit libr. 1. aphor. 4. ac tandem inconfirmationem (quod dictum saltim sit eruditionis gratia) addere liceat id quod Iacobus Schallingius, de carne suilla traddit in libris quibusdam nuperrime in lucem editis, de natura oculorum eorumq; visibilibus characteribus, morbis & remedijs. Is enim in lib. 3. sect. 2. cap. 19. dictam pro oculistica sanitate Instituens, sic ait de suilla. *Maxime fallunt qui suillas carnes humanis attẽperatissimas esse contendunt, falsi nempe argillacea quadam, & facili in corruptiones dulcedine: at olent aliter, & aliter longe temperati sunt. Homines virtutum studiosi, ac piæ sobrietatis, morũ enim contrarietas (hoc est actionum) antipathiam crasium demonstrat. Nempe crasim hominis vinosa complet suauitas, & suis conplexionem vliginosa dulcedo. Suillæ frequens esca catharosum parit, & spleneticum corpus, lychenibus, acoribus, phagedenis, & scrobuto obnoxium. Tam nõ est humanus stomachus suillæ insalubrem chylũ conuertendæ.* Hæc Schallingius.

Sed instabis forte (nam quis inficiabitur virum ita eruditissimum istęc latere) Primum quod morbus siccus sit cuj alimenta competunt humidæ naturę, qualia sunt carnes suillæ & agninę. Secundo Galenum carnes suillas pro ægrotantibus exquisita tertiana præscripsisse, vt hinc constet alimenta esse posse non sanorum modo, sed & ægrotantium. Ad primum cõstat solutio in supra dictis, nam ita qualitas alimenti debet morbo proportionari, vt substantię modus minime aduersetur, perquem facile aut difficile coquitur ex quo excrementa congerantur morbo fomentum præstantia Hic morbus siccus est, carnes istæ humidæ, & propter humiditatem conuenirent certé, nisi ita difficilimæ esset coctioris, ac excrementosæ & lentæ, vt liceat colligere multo plus nocituras, quam iuuamen alaturas ex qualitate morbo contraria. Secundum dubium mouet excellentissimus Mercurialis in lib. 5. de febribus cap. 10. de tertianis, & refert dor-

Dub. 1. *Dub. 2.* *Lib. 1. ad Glauc. cap. 9.* *Solutio primi.* *Solutio secundi.*

mitaſſe non nullos clariſsimos viros, eo quod voluerin contextum Galeni eſſe mendoſum, & loco ſuum eſſe legendum hædorum, quia Avicena mentionē fecerit cerebri hædorum, non autē ſuum. Duplici ratione id oſtendit, prima, quia in contextu Græco differentes ſunt dictiones ſuum, & hædorum, vt non poſsit vna in alteram commutari. Secunda, quia Oribaſius & Aecius, qui omnia ad verbum ex Galeno tranſcripſerunt, habēt ſuum & non hædorum. ex quibus concludit Galeni temporibus eſſe in vſu hujuſcemodi ſuum cerebra, adeo vt inter jocūdiſsimos cibos reputarentur: Quare die intervalli in tertianis conſilio ejuſdem Galeni vſurpari poſſe. Verum licet hæc Mercurialis aſſertio vera videatur, & nec a Galeni mente prorſus aliena: non propterea pro victu ægrotantium ſuum pedes, & cerebra inſtituenda ſunt, nec ad omnes morbos indiſcriminatim transferenda, id enim à vera victus ratione judico alieniſsimum; nam conſueuit Galenus cibos, qui craſsioris ſunt ſubſtãtiæ, & lentore non exiguo conſtant, ijs in morbis vſurpare, in quibus nō ſolum humectare, ſed incraſſare, atq́: humores qui calidi ſunt, & nimis tenues obtundere, & miteſcere. Conſtāt manifeſte in prędicto contextu libr. 2. artis, ad Glauc. cap. 9. in quo exquiſitę tertianæ curationem propoſuit, cujus humores calidi ſunt, & tenuiores, in quibus qualitates contrarias inducendi cauſa, alimenta perſcribit, quę cum hoc quod humectent, lentore ſuo bilis tenuitatem refragant, ac obtundant, ut ſic, cauſę morbum procreaanti adverſentur. Et ne me ex arbitrio, & abſq; vera ipſius doctrina id propoſuiſſe exiſtimes, extant verba clariſsime hoc comprobantia in lib. 12. meth. cap. 6. vbi de curanda ſyncope agit, in ijs, qui tenuiſsimos ſuccos, & qui facilime exhalant, in ſe continent. In his ergo quia lentore tenues ſuccos incraſſante, ac torporē quēdam inducente opus eſt, prædictum

ſuil-

ſuillum cerebrum, tamquam adid acommodatiſsimũ alimentum conſuluit, ſubdit enim inter alia ſic: *Itemque ſuillum cerebrum, ſed vel diligenter aſſum, vel in albo iure ligitime elixum porro, & anetho iniectis*, & poſt hæc addit (verba ſunt euidentiſsime rem oſtendentia) *Denique omni ratione agendum vt ſuccorrum materiam craſsiorem reddas*. Ergo planum ex his eſt Galenum ſolum modo in his morbis hoc alimento vſum, in quibus humores craſsiores reddere conueniat, non abſolute in omnibus vt hinc pro cõperto habeamus non in ægrotantium alimẽtum carnes ſuillas eſſe vſurpãdas: præſertim in hoc dequo agimus morbo, in quo humores lenti ſunt, & craſsi, qui potius inciſſionem, atque attenuationem expoſcunt. An deſideras pro complemento, vt & hoc quoque planum fiat in Galeni doctrina? geram profecto tanti viri morem. Ecce ergo alter (propijſsimus equidem ſiquis alius) Galeni locus in quo caſum proponit huic egrotanti, ſi non eumdem ſimillimum ſaltem quatenus ad cauſam attinet, is autem eſt in eodem lib. 1. ad Galenum cap. 11. quartanarum curationem traddens: *Arcendi ſunt*, inquit, *a carnibus porcorum atque ab omnibus edulis quæ tenacia ſunt & tardum habent exitum*: quibus manifeſte in morbis in quibus atrabilis cauſa eſt materialis, carnes ſuillas prohibet, tum quia tenaces, tum & quia tardum habeant exitum, vt tãdem pateat quam a ratione ſit alienum pro huius morbi medella carnes ita lentas, ac craſſas preſcribere quales ſuillæ agninęque ſunt. Videarne plus iuſto moroſus ſi puſilla hęc ita exacte perquiro? minime, nec propterea vitio vertetur vbi omni exparte clypeo me muniam fortiſsimo, in tanti viri autoritatem. Sit itaque victus ratio nõ ex lentis craſsis duriſq; alimentis qualia legumina ſunt, Magni piſces, & carnes antiquæ, ſed contra ex his, quæ corpori bonum prębeant alimẽtum, nec difficulter cõquantur. Et cum ęger natura ſiccus, graciliſque ſit, ac calid⁹, auęs prędictę, ac reliquæ carnes cõmodis herbis, aut

ole-

oleribus humectantibus ac refrigerantibus modicé elixentur, velut borragine bugloſo, interdum lactuca endiuia ſatiua, aut cichorio. Quin & aues licebit oreo cocto in lacte, aut aqua enutriri vt reficiant magis, ac humectent corpus exiccatum. In ea tamen quantitate diſpenſentur alimenta vt bene à ventriculo ſuperentur, nec cruditates generentur: vnde licibit velut fieri par eſt vbi vires inbicilles ſunt, non modo ſemel, aut bis alimenta offerre, ſed & ter aut quater tamen partita quantitate, vt alterentur melius in corporis alimoniam Potus ſit aqua fontana optima, vel radice cōdrillæ incocta, vel bugloſi, aut borraginis. Fugiat omnino vina præſertim generoſa cum ipſe apertiſsime fateatur, ardorem ac incendium per ſentire ab eius potu quantumuis diluto, ac exigua quantitate bibat. Et quamquam pro recreandis, ac augendis ſpiritibus ſit vinum acommodatiſsimum, cum citam prębeat refectionem, alit enim celerrime vt ait Galenus cū Hippocrate, at quatenus caput replet, diſtillationeſq; mouet, lęſurum non parum exiſtimo. Imò & viſui quod admodo officere inſinuauit Alexāder in lib. 2. problem. 52. quatenus aquæ potatores acutius videre tradit: tamen ob aliquod accidens quod animi defectionem inducat, panem aut biſcoctum vino irroratum mediocri, exhibere conueniet diluto tamen aliqua ex prædictis aquis. Aer caliginoſus, erit ei infeſtiſsimus ſicut & nubiloſus, vnde domi ſeruandus eſt, quādo hyemis tempore, pręſertim matutino, & veſpertino, caligines obuerſarint & pari ratione fugere debet auſtrinos ventos, ſiquidem hi viſum caliginoſum reddunt, eo quod caput replere apti ſunt. Ex com. 5. lib. 3. aphor. de ſomno vero, ac vigilia, motu ac quiete non multum referam, cum planum ſit quietem magis conuenire ſicut calidis naturis conſuluit Hippocrates vtatur tamen loco exercitij leuioribus frictionibus, quæ & modice digerant excrementa, ac corpus impinguent: mollis enim frictio corpus impinguat,

Quantitas. *Modus ſumendi.* *Potus.* *2. apho. 18.* *Aer.* *Somnus & vigilia motus & quies.*

pinguat, ficut fortis indurat ex eodem Hippocrate; ſimiliter ſomnus magis eſt eligendus, vbi morbus vigilias invehit, æger jam ſæpius defatigatus eſt eiſdem: reparetur, ergo vigilia ſomno, vt ait Galenus. De ſitu corporis ſervando in ſomno, ſententia eſt Oribaſij, quam ex Antillo referert, decubitus eorum, quibus caput laborat in ſublime vergere. Aecius quoq; hunc ſublimiorem capitis ſitum in ijs ſolum commendauit, qui ventriculi imbecillitate præmuntur, vt ſic melius veluti erecto corpore, cibus in fundo ventriculi conttineatur: obſtat tamen his Avicenæ doctrina, qui capite dimiſſo, decliviq́ue pulvinari ſomnum conſuluit juſta veriorem lectionem, quam inſequntur Iacobus, Gētilis, Gradius & poſt eos Hieronymus Accorombonius, in quodā de catharro libello: dimiſſa antiquiori altera, quæ cum elevatione capitis, elevato pulvinare referebat: imo & hanc tamquam communem omnium errorem ſe detegere Mercurialis affirmat, credebāt enim capite altiori dormientes, minus deſtillationibus tentari, at Mercurialis contrarium evenire contendit ratione & doctrina Ariſtotelis, ex lib. 10. probl. vbi quærit, cur vnus homo cæterorum animalium maxime ſternet, & conſequēter deſtillationibus laboret; quod factum exiſtimat, quia ſublimiori figura magis ab inferioribus recipit caput, non ſic decliui, aut æquo toti corpori ſitu. Iulius Guſtavinus Genuenſis medicus (ille, qui in decem Ariſtotelis problemata antea cōmentarios edidit) hoc quęſitum traddit, in quodam de medicina ſelectorum locorum libro, qui noviter hoc annò præſenti 1616. prodit in lucem, atq; Mercurialem notat, quod novum à ſe inventum exiſtimet, cum ab alijs prius fuerit explicatum, ab his ſcilicet, qui lectionem Avicenæ veriorē contenderunt, ſecundum quam dimiſſo capite, & decli vi pulvinari dormiendum exponit. Vtcumq́ue tamen ſit decubitus in ſommo (vt ſic dubio ſolutionem de-

Situs, ſive figura in ſomno ſervā da.

Avicen. fen. 5 li. 3 tra. 1. c. vlt. Iacob. & Gētil. in Av. Matheus de Grad. in 9. ad Almaſ. cap. de cathar ro.

Cap. 8.

mus) varius esse debet in ægrotantibus pro morborum quibus præmuntur diversitate: siquidem cuique morbo suus peculiaris, ac vtilis est dormiendi situs: aliter vero in sanis. Vbi quis ventriculi imbecillitate laborat, dormiat, ut præcipit Aecius, capite insublimius tendente, ut sic cibi melius a ventriculi fundo amplexentur corpore veluti erecto. Si spirãdi difficultas vrgeat, sublime in lecto caput habendum esse, Celsus præcipit in lib.4. cap.4. Imo ita faciendum accidens necessario cogit. Similiter & sanis quod insublimius vergat, est Oribasij sententia: in reliquis vero morbis, in quibus a toto corpore, & a partibus prę sertim inferioribus caput consentit, & recipere paratum est, Avicenę sententia, justa veriorem interpratationẽ, est servanda: ut caput minime sit elevatum, sed potius indeclivẽ inclinet locum supposito pulvinare declivi figura. Sic ergo in distillationibus, in capitis dolore, in phrenitide, lethargo, & omnibus alijs, qui consensu quodã caput recipit, observandum venit: Vnde patet, figura ægrotanti, de quo pertractatur, conveniens in somno: Nam cum caput nimis sit imbecillum, ac ab hypoccondrijs, & toto corpore recipere sit dispositum, eiusdem capitis situ declivi dormiat, aut saltim toto corpori æquo, nequi per somnum multiplicãtur vapores, ita facillimé illud irruãt.

Somni decubit⁹ in sanis.

Tandem cum animi pasiones ita celeriter, ac multum corpus immutent, debito modo sunt regulandæ, ac cõmesurandæ. Cum præsertim ipsę occasiones, siue externę causæ fuerunt, quæ corporis dispositas materias ad hoc accidens impulerunt. Vitentur ergo summopere metus & mestitia, quę melancolicas pasiones & fovẽt, & augent: imo & per se ubi perseverent, eas procreare solent ex Hippocrate. *Sitque medico curæ, ne nuntij tristes ad ægrotum perferantur, neve quis coram ipso de rebus tristibus, & quæ motus turbidos nobis afferre solent sermonẽ institũt; sed de rebus jocundis, & animum oblectantibus,* pro ut optime pro-

Animi pasiones vitandę.

posi

poſitum eſt a Galeno ex Hippocr, lib. 6. de morb vulg. cō. 8. tex. 4. & in ſūma crapula vitāda omnino eſt, ebrietas, ven⁹, & reliqua, quæ poſſunt caput defatigare, velut aſsiduæ lectiones, & cogitationes a cibo præſertim. Ita denique bona victus ratio diſpenſanda eſt.

Sequitur deinceps indicatio, in qua vacuantia, & revellentia præſidia continentur, retrahuntur humores, qui in caput parati ſunt fluere, crurum frictionibus, ligaturis, lavacris, & cucurbitis in ipſis partibus inferioribus aplicitis, idque molliendum eſt ex certis quibuſdā intervallis: in qua etiam indicatione, & clyſteres nō admodū molles cōttinētur, cuius formulas percurrere, inutile videtur, ſiquidē ſatis per ſe notæ ſunt. In eorum rectovſu placet animadvertere, quod cum ægro ex Hypp. condriaca affectione, neceſſario alvi excrementa dura ſint: nuſquā quæ vacādi vim obtineāt, injiciantur, quin prius ex rebus emolliētibus, humidis & pinguibus, præcedāt clyſteres, & tunc præſertim cum lōgius anteceſſerit tēpus, in quo alvus nihil dejiciat. Hoc enim eſt præceptū pro induratis fæcibus educēdis a Gal. propoſitum in arte medica, cap 94. parentur ex jure pingui cū oleo Chamemelino, aut amigdalarum dulcium, aut optimo oleo communi, aut Chamemeiino, & anethino, ſi flatus copia adſit. *vacuātia & revelltia præſidia.*

Remedia vero præcipua, quibus tū revellere, tū evacuare prædictos humores ſolemus, ſunt, ſanguinis miſſio, & expurgatio· in utriuſque propinatione cauté admodum procedendum eſt in hoc, & ſimilibus affectibus, nec magnas, nec confertim factas molliemur evacuationes, quæ ſpirituum ſubſtantiam diſsipant, ut adnotabit optime Foreſtus, ſed particulatim de venæ ſectione Mercatus, quam fieri præcipit modeſtius quam in quovis alio affectu, *in qualibet enim viſus imminutione*, ait, *ſanguinem fundere tutum non eſt, nec ſine damno fieri poteſt*. Et quamquam ita cauté ſanguinem *Sanguinis miſſio.* *Lib. 11. obſervat 35. infi. Mercat. cap. pro.*

detrahere opporteat ratione affectus: in hoc ægrotánte nullatenus extrahendus est, id suadent experimentum & ratio, nam deterius se habuit, imminuta amplius visione,& capite reddito imbecilliori, quoties hoc præsidium medici adhibere tentarunt. Ratio quoque comprobat, quia cum spirituum inopia caput veluti in habitu languidum sit, totumque corpus calidum & siccum, in se humores atrabilarios maxime distantes a natura sanguinis, continens, nequit propter hæc imbecilla virtus absque dispendio maximo, sanguinis missionem tollerare. Cum ergo sanguis non sit extrahendus, eo quod vires non perferant, mediocrem deiectionem adhibere convenit Gal. consilio, qui vbi vires imbecilliores sanguinē mittere dehortātur, purgationē mediocrē eligit: vtatur per intervalla pharmacis blāde humores peccātes educētib⁹ citra virium jacturā: Vnde ego cōsulerē, ut habita prius pręparatione, per syrupos vsuales, qui bilem atram disponant, ac contremperent, quales ex succo bulgosi, borraginis condrillæ, aut pomorum redolētium (de pomis simplex appellatus) cōponuntur, cum aquis ex eisdem, aut similibus instilatitijs: aut decoctis ad id idoneis: Sumat deinde syrupum de filicula, siue de polipodio dictum, pondere duarum, aut trium vnciarum, cum foliorum senę, & florum cor dialium exiguo addito cinamomo, decocto: aut quod utile ac expertum habeo, hoc quod paulatim adustos & atrabilarios humores educit citra molestiam, quem bis singulis hædomadis sumendum decerno. Aut saltim quater singulis mensibus, quo intermedio in tempore juscula, quæ temperandi, & attenuandi vim obtineant præparationis maioris causa accipiat, per dies septem, aut octo aut amplius, si expedire videatur. Syrup⁹ fit sequēti forma, post sequetur modus juscula parādi. Foliorum senæ drag. iiij. epithimi & polipodij ana drag. ij. florum cordalium drag. j. anisi, & cinamomi ana scrup.

Purgatio quomodo sit molliēda.
4. de san. tuend. 4.

ſcrup. ſemiſſ. in libra. j. Seri caprini infundantur. Deinde bulliant in vaſe duplici quatuor, aut quinque e. bullitionibus collentur, adde collaturæ Rhodomellis ſaccharati, aut ſacchari albi unciā unā. Sumat pro doſsi duplici. Iuſculum, quod ante purgationē eſt propinandum, ſic cōponitur. Accipe pulum intus & extra mundatum, cujus ventrē reple folijs capilorum Veneris, lupulorum, borraginis, agrimonię, cichorij aut ſcariolę, ſcolopendriæ; pomis redolentibus, ſeminibus melonis cucurbitæ; radicibus itē condrillæ fæniculi & petroſelini ſingulorum æquis partibus, betonicæ & ſtycados in minore quātitate, coquatur in ſufficienti aqua fontana optima ad perfectā coctionē addito ſale modico pro ſapore optimo conciliādo, huius iuris ſūmo mane vnciæ ſex, aut octo ſumendę ſunt, ut corpus recté diſponatur ad expurgationē, nō modo cōttēperatis humorib⁹, ſed & deobſtructis, ac reſeratis partibus, quæ ex Hypoccondriaca obturatæ ſunt. Id vero conſtantiſsimé obſervandum affirmo, ut his crebris vtatur ventris ſubductionibus, & alternatim pręparantibus medio in intervallo, ut ſic veluti curatione, epicraſis a Gręcis dicta, quod vitioſum eſt evacuetur, & rurſus vtile pro eo reponatur, quę corpori debili cum multa humorum corruptione (qua le præſens eſt) acomodatur Galeni doctrina, & cum hic æger nequeat ſubitas, ac multas evacuationes perferre citra maximum virium diſpendium, ut eventus cōprobavit, his paulatim & per intervalla factis puto paſsionē blandiendā, ut ſi nō integerrimé, ſaltim melius poſſit vitā tranſigere. Quod ſi ut a capite etiā retrahantur, & evacuentur humores, farmaca forma ſolidiori propinare libuerit, utiles erunt pilulę defumaria, aut ſine quibus eſſe nollo; aut lucis appellatæ, aut aureæ, pondere dragmæ unius. Ne tamen corpus ſquallidum, ac venter ſiccus ab his offendatur, aut quod aliàs experti ſumus, pilularum fruſtetur operatio, veluti fieri ſolet, vbi ven-

Ius ad præparationem.

9. meth. cap. 10.

ter ficcus eſt,& purgãs forma ſolida, deſuper ebibi conveniet ſeri caprini calidi quatuor, aut quinque uncias, aut juris quod humectandi vim obtineat ex ordeo, borragine, ſeminibus frigidis, & carnibus pulorum. Nec ad fortiora medicamenta devenirem, ſi ita difficulter fert æger purgationes, ac reliqua vacuantia remedia, ut relata perhibent.

Cauteriũ & phenigmi. Conducunt cauteria, & phenigmi in hoc affectu, & alijs ſimilibus paulatim a capite detracto humore, vel tanquam revellentia, vel derivantia præſidia. In hoc vero ægrotante damnum majus quàm utile remedium a latura exiſtimo, cum ita languidiſsimum ſit caput, ac veluti in habitu morboſum cum non exigua ſpirituum inopia, quod ad rem ſatis utiliter adnotauit Ludovicus Mercatus, qui initio prędicto remedio inſiſtendum ait, *Quam capite tam imbecillo, quippe tunc imbecillius longe reddetur fontanela, aut ſetone. Quamobrem cavendum eſt ab hoc præſidij genere, ubi ex ſpirituum tenuitate, paucitate, ac capitis imminuto calore & humido, a morbo aliquo prægreſſo affectio prodijt, cuius rei ignoratione non paucos vidi in integram cæcitatem delapſos.* De phenigmis non eſt, cur verba faciamus, ſi calidus, ac ſiccus eſt capitis affectus, cui nullatenus ſynàpiſmata, & calida emplaſtra convenire ad Galeni mẽtem oſtendi in tractatu nuperrime in lucem eddito, *de anginoſis gutturis, & faucium ulceribus.* In quo Galenum a Traliani calumnia vindicavi, quod & Guaſtavinus hoc eodem anno literis expreſsit non multum poſt me in libr. de medicina ſelectorum locorum. cap. 20. ex quibus non videtur affectui convenire, quod ſynapiſmum imponendum capiti pręſcripſiſti, Aguiar ſapientiſsimé, cum & morbo, & ejus cauſæ ſit maximé contrarium, & ſimiliter capiti, quod ſiccum, calidumque eſt.

Libr. 1. de inter. mor. cur capi. 20. in fin.

Non convenit ſynapiſmũ.

De apophlegmatismis & errhinis reſtat prælibandus ſermo, quæ remedia ſunt præcipua poſt totius corporis

ris providentiam in capite detentos humores evacuantia. De errhimis dubium est, propter oculorum, & narium sympatiam, quidquid enim ad nares evocatur statim ad oculos currere videtur, ut docet experimentum per lacrimas ab ipsis emanantes: Vnde Hollerius in opthalmia, numquam tuto errhina prę$scribi traddit, Et alibi *cavendum*, ait, *oculis affectis ab errhinis & sternutamentis, his enim facile decurrit materia ad oculos*. Contrarium expressé docet Galenus, lib. 6. de sanit. tuend. capit. 12. Nam *decidentibus excrementis in oculos, a capite derivationem molliendam*, ait, *ad nasum potissimum, retractis, per ea quæ sternutamenta movent, humoribus*. In hoc ergo casu, ac in reliquis oculorum affectib⁹ semper vehemẽtia effugerẽ medicamẽta, ex quibus parãtur errhina, veluti clacterium, elleborum, & similia, eligerem vero mitiora (ut sic repugnantiã prædictã dirimã) ad mẽtem Mercurialis, qui ita observandum præcipit, esseque enigmaticé ab Hyppocrate dictum, lib. de locis in homine, loquens de his, ubi ait, valentiora medicamenta quæ infunduntur per nares evacuare a capite, imbecilla ab oculis: justa hanc doctrinam licebit, aqua mulsa exbetę, aut majoranæ decoctione vti, aut ad summum saturejæ, aut origani decocto iniecto exiguo rhodomellite. Et quod securius multo est, apophlegmatismis uterer, quæ per os a capite materias evacuãt, ut docet Hippoc. lib. 6. epid. com. 2. tex. 32. *Sicut oculis*, inquit, *fluxu laborãtibus, sin aliter videtur cõducere, in fauces retrahere convenit. Ipso nobis consulẽte* (ut ait Gal. in com.) *diturnas oculorum fluxiones traducere ad fauces, videlicet per acria medicamẽta retrahẽtib⁹*. Imo cõsiliũ est & rationi & experimẽto cõsonum, avertere humores, quominus patientẽ particulã irruãt, interim dũ derivare intendimus; quod & in prædicto comentario sic traddit Galenus. *Quemadmodum hoc loco consuluit, ita & in aliis te animadvertere iubet, ne quod ex membris, ad quæ materiam retrahis magnum detrimentum subire periclitetur.*

An errhinis vtendũ in oculorũ aff.

Oler. c a. de opt. in fine. anno. marg. et in obser vationib⁹ aliquot singularib. in fi. lib. 1. obos. 2.

Lib. 1. de cur. aff. c. capi. 28.

Ergo

Ergo ex his satius esse judico per apophlegmatisma caput evacuare, in omnibus oculorum affectibus, quã errhinis, aut sternutatorijs per nares. Fiant ex decoctione

Apophlegmatismatum formulæ.

origani, majoranæ, salvię aut betoniæ, quarum vncijs duodecim duas Rhodomellis, & unã oximelitis adderẽ ad gargarizandum. Aut parentur forma solidiori ex pari portione mastichis staphisagriæ, aut galangæ crassiori trituratione in pulveres, qui in vua passa detractis granis intromittantur ad mastichandum, vel cum oxymelite, & cera exigua, forma lupinorum componantur, quibus per quędam intervalla, præmissa totius evacuatione, ut dictum est, mane ventriculo jeiuno uti licebit, pro ut ferat corpus imbecillum.

2. Indicatio.

Roborãtia, & discutiẽtia.

Sermonis consequtione, post particulares, & uniuersales evacuationes sequntur roborantia, ac discucientia presidia, per quæ partibus firmatis nihil ulterius excrementi congerant. Quo autem ordine procedamus clariori, percurramus primum universalia roborãtia, nempe quæ corpus universum roborant, ac reficiunt: deinde singulis partibus imbecillibus idonea. Sunt autem quæ langore afficiuntur in hoc ægrotante caput præcipue, cor, ventriculus, ac partes ad ventrẽ superiorẽ pertinentes (hypocōdria a Galeno appellata com. 35. lib. 2. aphor.) & tandem oculi. In primo loco pro universo corpore roborando, ac spiritibus animalibus reficiẽdis, sunt optima alimenta, de quibus actum est, deinde balnea, non quæ sponte calida nascuntur, sed quæ ex dulci

Balnea.

& potabili aqua parantur, quæ primatum obtinere docuit Actuarius, lib. 2. de spiritibus animalibus, cap. 11. qui & modum, & observandas conditiones proposuit. Sic ait. *Balneorum vero usus nulli secundus, quippe quibus solidiores corporis partes humescãt, ac meatus reserentur: infarctuque hi omni attenuati liberẽtur. Horum certe tibi potissimum admittendus usus præ alia victus ratione, qui corpus gestas recrementis vacans, subaridumque: Sic a te jeiuni consuetudine confectum*

& fruga-

& frugalitate. Et parum infra, qualia esse debent balnea, protulit in hunc modum. *Sponte vero nascentibus, quæ calfaciēdi vi prædita sunt, ut utare, numquā sinè consuluerim, ut quæ siccatoria maximè vi polleant: quum enim nitrum hæc, atque alumen, & atramētum sutoriū deferunt, humorē exhauriunt potius quā reponāt.* Parētur ergo pro presentis ęgrotātis remedio ex aqua potabili modicé calida, ut solum tepescat, quæ nō modo toti corpori, sed etiā capiti utilissima erunt pro corrigenda calida, & sicca intēperie, humida, ac modicé frigida introducta, quæ principalis est, & corporis, & capitis roboratio: cum scilicet qualitates quæ obsūt per cōtrarias corrigātur. Pro capitis tamē meliori attēperatione oleum adderē amigdalarum dulcium, & ut aliqualē discutionē simul cum roboratione capiti adderē, non ab re existimarē, ut chamemelū, rosa, lupulus, & borrago in aqua incoquantur: nec fortiora admitterem descutientia, cum lædere potius per calidā & siccam dominātem tēperiem; Unde tua bona venia lixiviū, quod aquæ tepidæ per miscēdum jubes pro capitis lavacro auferendum dictarē, ne plus justo calefaceret, & exiccaret caput similibus intēpetantijs veluti in habitu imbecillū. A balneo vero caput cōtegerē pano imbuto in oleo violaceo sesamino, aut amigdalarū dulcium cum quarta parte chamemelini. Quomodo & quot diebus sit dispensandum balneum perdocto medico, qui ægrotantis curam gerit relinquo, cum hoc a præsenti dispositione dependeat. Interius pro corpore universo roborando, ac reficiendo instillationes componantur ex borragine bulgoso scortionera, scariola, ordeo mundo, cum exigua betonica, quibus vel galinæ, vel caponis evisceratí & a recrementis mundati, venter repleatur, cum margaritis præparatis, rubro coralio, & hyacintis, aut si placuerit, hyacintorum confectione, atque ubi prius aqua fontana ebullucrint lento igne, instillentur in balneo Mariæ, seu Alembico vitreo. Hujus unciæ quatuor aut

Balnea capiti propinā da.

Lexiviū auferendum a capitis lavacro.

Interius juvāda.

quinq; calidę summo mane sumendæ sunt, vel cum hac
Sal Margaritarũ eadẽ instillatione, sal margaritarum sic a Chimistis vocatum præberem pondere dragmæ dimidiæ. Hic enim efficacissimus est in cerebri confortatione ac cordis.
Proprio Titulo. Nam si Osaldo Crollo fides adhibenda est, in sua basilica chymica, cordiale est nobillissimum, postabili auro intemperatura & operatione, quam proximé accidens, qui & modum parandi refert. An vero theriaca magna
An theriaca magna conveniat in hoc, & aliis morbis calidis. utile esse possit dubium plane est, ex eo autem consurgit, quod & si antidotum sit maximum, pro viribus corporis instaurandis, àc optimis spiritibus reficiendis, tamen a Galeno prohibetur in simili intẽperie. Ait enim ad Pisonem libr. de theriaca cap. 17. *Quamobrem & eos, qui media sunt ætate, & eos, qui naturlem temperiem calidam admodum habent moneo, ut nec multoties, nec multum theriacæ suscipiant*, & parum infra. *Quod si quando & tu Piso in æstuosa regione fueris, noli theriaca uti.* Est autẽ æger calida, & sicca tempeire; morbo calido, & sicco dettentus. Pro altera parte eadem militat Galeni doctrina, & experimẽtum, siquidem multis in morbis calidis, & siccis theriaca vti-
Libr. de theriaca cap. 15. tur: sic enim furentium deliria (fiunt hæc per similem intemperiem calidam, & siccam) generose sedasse affirmat, aducto somno, acres quoque homores in ventriculo, & in testinis contentos absumere. Interim tamen dum animi passionibus opitulari traddit, ac veluti excitatas melancolia graves curas ex animo pellere: subdit. *Perinde ac si è splene, ac reliquis membris atram bilem exugeret, qua de causa quartanis etiam febribus optime convenit, cum ea febris ab atra bile consurgat.* Proinde gloriatur quar-
De preco g. ad Pisum. c. 3. & 1 ipid. cã. 3. & 17. tana laborantes ea fuisse liberatos, ut patet in historia Eudemi, suo tempore data, & tandem aquæ formidinẽ (Græci hydrophobiam vocãt) morborum omnium pessimum, hanc antidotum plerunque tollere refert. *Nam strenue ad versus tot malorum concursus dimicare, quibus non solum corpus exiccatur, & interdum contrahitur, febreque intus*
sump-

sumpta comburitur, sed & animus delirat, & difficillimo symptomate molestrtur. Ex quibus aperte liquet Siccissimis, & calidis morbis theriacam conferre doctrina Galeni: vnde & in præsenti mirificé posse conducere. Facilis est hujus nodi solutio, ubi quis attenté Galeni mentem consideret, nam aliud est pro usu quotidiano theriacam prescribere, veluti antiqui consueverant, ut patet ex codē Galeno: aliud vero eam procurandis morbis usurpare; Siquidem usus quotidianus nequit esse utilis calidis & siccis naturis, temporibus, & regionibus simile intemperie excedentibus, in quibus nec multum, nec multoties sumendum monet. At procurandis morbis multiplicem, ac varim antidoti hujus esse virtutem ait, cap. 15. ad Pisonem: Vnde & propter varios modos, ac respectus, calidis, frigidis, humidis, ac siccis morbis opitulari patet ex supra relatis, cui, & experimentum quotidianum suffragatur. Nā & deliria tollit, ut dictum est, resistit & commitialibus invasionibus nimiam capitis humiditatem absorbendo, appetentias dejectas excitat, & easdem immodicé auctas reprimit, hæc quatenus acres, ac mordaces ventriculo insistentes humores valenter dissipat, Illud quidem dum malos ventriculi humores conquoquit. *In mulieribus educit menstruum sanguinē, & suppressas uteri, sedisve sanguinis excretiones frequenter aperit: ac quod mirabilius est, immoderatas eiusdem sanguinis ejectiones dettinet. Nam suppressa ægredi facit, cum ea attenuet, atque diffundat. Immodice vero prodeuntia ob imbecillitatem virtutis, supprimit, corporum vires instaurans.* ut constat capit. 15. de theriaca ad Pisonē. Hęc igitur & alia plurima theriaca operatur propter insignes cjus qualitates manifestas ex cōpositionis modo dimanantes, secundùm quas varijs, ac cōtrarijs morbis cōvenire in cōperto est. Nec diffitēdum id etiam ab occulta antidoti natura, ac proprietate, sive substātiæ modo provenire posse, quod & de confortātibus omnib⁹ retulit Osuald⁹ ex Paracelso (liceat

Cap. 15. de ther a ad Pisonem.

Solutio quæsiti.

In histor. Cōmodi, de præcog. ad Postbu. c. 11.

Cap. 17 de theri. ad Pis.

in hoc horũ autoritatẽ insequi, quãquã chymisticã artẽ prefiteãtur) *Non curãdum calida ne res sit, an frigida, sed arcani considerãda vis.* Ergo jã hæc de theriaca sparsa semina colligamus ad præsens, ac utilẽ ęgrotãti affirmemus, & manifesta & occulta qualitate non usu quotidiano, sed per quędã intervalla promẽbrorũ roboratione: sic enim per manifestas qualitates humores illos atrabilarios, & obsorbet, ac dissipabit, & quæ præst, crassitudinẽ, tenuabit: vires quoq; quaten⁹ instaurat imbecillo corpori, ac pręcipué capiti, spiritib⁹ refectis, ac purificatis, erit maximo juvamine: similiter arcana, sive occulta proprietate, animi mæstitias, ac graves curas melancolia obortas effugabit, gaudiumq; parabit corde roborato. Verũ ut siccitas minimé noceat arido capiti, ac corpori, & caliditas quoquo modo arceatur, prædictis rebus instillãdã consuluerim, præsertim ubi cum caponũ, ac galinarum carne jus sumendũ paretur, injecta scilicet theriaca in Alẽbico vitreo quo reliqua, coctione jã per acta, instillãda cõjiciuntur, ea quantite ut nec uncia sit minor, nec duas ad summum excedat cum optimo saccharo albissimo, prout annotatum est, saporis optimi conciliandi gratia, hæc ergo erit formula. Carnis caponum, & galinarum parum contusarum numero duos, foliorũ borraginis, bulgosi, & scariolę, sive domesticæ endivię. ana manipul. duos, radicum scortioneræ borraginis, ana uncias duas. pomorum redolentium uncias tres, florum cordialium. p. duos pimpinelæ & scabiosæ. ana manip. unum. margaritarum præparatarum, & corali rubri pręparati (aut loco horum confectionis hyacintorum) ana drag. tres. Omnia in aquæ fontanę optime lib. octo in vase fictili lento igne mediocriter bulliant non usque ad perfectam coctionem, deinde in Alembico vitreo instillanda injiciantur, additis theriacæ magnæ Andromachi secundum artem compositæ, uncia una, aut duabus, sacchari albissimi libris totidem & secundum artem

Aqua ex theriaca instillatitia.

artem distillentur. Est quoque utilis aqua theriacalis Rondoletij prout eã refert Pareus, dum modo loco pulegij, & camemeli substituatur scortionera, & borrago, & loco vini albi in quo instillandæ res temperantur, aqua pura fontana reponatur. Hęc igitur pro universo corpore, ac capite roborandis dixisse sufficiat. Pro oculis vero particulatim, quę cum aliquali discussione, robur concilient, videntur aptissima; licet excellentissimus Mercurialis, ea quæ oculis adhibentur extrinsecus, ubi læsio sit in cerebro, aut in opticis, parum aut nihil prodesse affirmet, eoquod locus affectus sit valde intimus, & profundus, ut propterea non sit facile, medicamentorum vires eò pervenire. Tamen ut ipse refert ex Cassio, & Alexandro collyria oculis adhibita commutant palati sapores, quod & Thaddeus Dunus in se ipso fuisse expertum oculorum vitio laborante fatetur, libro de venæ sectione: ut rationi videatur consonum externa medicamenta per oculos interius penetrare. Ratio quoque comprobat ab anathome accepta, nam oculi a cerebro, ejusque membranis proficiscuntur, & præcipué partes internæ, quæ huic functioni deserviunt, quod perdocté satis declarauit Franciscus Aguilonius in sua Optica. Non ergo negligenda sunt externa medicamenta, non solum quo interius ad opticos, & cerebrum pertingant: verum etiam ut oculis ipsis robur concilient, qui inopia calidi, & spirituum imbecilles sunt, ac simul superflua quædam, quæ calidi langore sunt congesta discutiantur, crassioresq; spiritus attenuētur. Recipiat igitur ęger vaporē vini ebullientis, in quo fęniculum, rũta, ac hysopum incoquãtur. Deinde oculis instilletur palumbi sanguis recens, sectis venis, quę subalis sunt. vtilis est aqua, quę

Li. de lue Venerea cap. 18. in fine.

oculis an aplicãda roborantia, et discutiẽtia.

Aguil. l. 1. optic. prop. 2.

Topica pro oculis.

 com-

cōponitur ex ſucci fęniculi vini albi optimi æquis portionibus cum dupla mellis optimi, ubi per Alembicum inſtillentur, ſed præ cæteris utiliſsima eſt, quæ ſequitur. Pannis ex ordeacea, & triticea farina ſine cribatione recenter coĉti libras duas, ſuccij fæniculi euphraſiæ & chelidoniæ, ana unc. decem mellis crudi ſine cera lib. unā, miſce, & in Alembico æneo inſtillentur lento igne. Huius aquæ gutulæ tepidæ, ſummo mane, & hora ſomnij infunduntur oculis, tamen ventriculo, & hypoccondrijs (a quibus non mediocris leſio capiti communicatur) providebimus primum fotu, deinde lenimento. Fotus fiat ex roſis, abſinthio, chamemelo, meliloto, borragine, & ſcolopendria in aqua coĉtis, exiguo vino albo infine decoĉtionis addito, nec quę amplius calfacerent, utilia exiſtimo, velut ea ſunt, quæ cō muniter pro diſcutiēdis flatibus uſurpantur, origanum ſcilicet, pulegium, aniſum, cuminum, & lauri baccæ cum hæc nocitura ſint ægrotanti, qui nidoroſa cruditate cum non exiguo hypoccondriorum æſtu, ſæpius tentari ſolet, ut ipſe retulit. Pro linimento optimum eſt Roſaceum oleū cum æquali portione abſinthitis. Aut Roſaceum in quo fervuerint, ponticum abſinthium, mentha, coralium rubrum, & parum cinamomi cum exiguo vino odorifero. Aut ex oleo communi cum ſucco abſinthij, & menthæ, ſingulorum unc. duæ, quæ vaſe dpplici bulliant, ad ſucci conſumptionem, in fine ad ditis pulveribus, corali, diarhodonis. ana drag. una cum dimidio maſtichis, & lignialoes cum cera exigua, quantum ſufficere videatur pro molli vnguento, ſive lenimento: & ne in rebus ita conſpicuis, ac cuilibet ſatis notis recitandis, tædium excitare videar, hic finem faciam, ubi prius, quæ ſunt diĉta magnorum virorum, qui conſilium ſum præbuerunt, & præcipué Aguiar do-

Eam refert Mercat. l. 1. de int. mor. cur de viſus debilita. p. 222.

Vētriculi roborātia.

doctissimi, correctioni objicienda proposuerim. Vtinam Dominus omnipotens, a quo omnis summa procedit medella, ita hęc fęlicitet, ut sint ægrotanti jocunda, & non parum utilia.

HISPALI
13. Decembris, anno 1616.



ERrata, quæ oculos typographi effugerunt, corrigantur sic. Folio. 1. Pagina. 2. linea. 19. perfectus lege perfectos. fol. 5. pag. 1. lin. 29. eadem, eamdem. fol. 6. pag. 1. lin. 8. læderētur, læderetur. lin. 11. calices, culices. fol. 7. pag. 1. lin. 2. opia, copia. lin. 3. ese, sese. lin. 4. aporis, vaporis. lin. 5. it, fit. lin. 6. laritas, claritas. lin. 26. deortum, detortum fol. 9. pag. 1. lin. 16. siccijs, siccis. fol. 10. pag. 1. lin 9. casi, crassi. fol. 11. pag. 2. lin. 23. lib. 2. lib. 1. pag. 2. lin. 3. oreo, ordeo. fol. 13. pag. 2. lin. 34. institāt, instituat. fol. 14. pag. 1. lin. 15. Hypp condriaca, Hyppocondriaca. fol. 17. p. 2. lin. 5. Osaldo, Osualdo. lin. 7. accidens, lege accedens.